



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Testamentis. Consilium CCCCXVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

studio aliquid præcipuum, vel peculiare tribuere. Cum alioqui non absurde dici posset, hujus quoque scholæ studium eo referri: quia sit instituta ad Grammaticam discendam; quæ ut omnium artium, ita quoque Theologiæ primum est initium; & sine qua majora constare non possunt.

Alterum, quod de novo proponitur est, an hoc legatum inutile sit, saltem quod attinet ad domum controversam, & à qua origo hujus litis profluxit? ob id, quod per constitutionem Caroli Quinti Imp. vetitum sit, bona immobilia testamento relinquere, aut contractu transferre Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus, Capellis, Collegiis, divinis locis, aut Ecclesiasticis personis, seu manui mortuæ: adjecta etiam clausula decreti irritantis, si in contrarium factum fuerit; ita ut ex residui relicto, saltem ista domus eximenda videatur.

8 Caterum verius est, istam domum eximendam non esse; idque multis ex causis. Et primò quidem ex eo, quod in Oppido Antwerpensi domus & habitationes jure mobilium bonorum censeantur: ita ut constitutionem ad literam accipiendum (uti fieri solet in exorbitantibus, odiosis, Ecclesiasticæ libertati aliquo modo repugnantibus constitutionibus, l. 3. §. hac verba De negot. gest. Anchar. in repetit. Canonum statuta col. 9. De constitut.) quia loquitur de bonis immobilibus, nihil in eam peccatum dici possit, si dicamus sub hoc residuo dictam domum contineri.

9 Secundò, quod dicta constitutio, itemque illius ratio, non obtineat quoad erectionem hujusmodi scholæ; quia inter corpora, quibus immobilia acquiri vetantur, propriè non connumeratur huiusmodi literaria schola; sicut nec publici alicujus operis instructio: sed tantum Ecclesiastica loca, & corpora; qualis ista schola profana dici non potest, *elegantè Castr. consil. 301. Prædicta dubia vol. 2. Et sicut dicta constitutio non vetat legari immobilia cuicumque municipio aut reipublicæ (quibus utiliter jure communi legatur ac donatur, l. Si heres §. si vicis De legat. 1. l. Civitatis Ad SC. Trebell. l. Municipibus De condit. & demonstr.) ita nec in causam, quæ immediatè reipublicæ est, separataque est causa rerum divinarum & reipublicæ; quæ ut diversa, non ut eadem reputantur, d. §. ad municipium: ita ut de uno ad aliud non possit certò & inconvincibiliter inferri, l. Papinianus libro De minoribus.*

10 Ratio quoque constitutionis huic erectioni & dotationi non repugnat. Consistit enim illa tum in multitudine aliorum piorum sacrarumque locorum; tum in affluentia opum. At scholarum numquam est sufficiens numerus, & multò minus opum aliqua abundantia; sed in magnâ hujus sæculi ingratitude, præceptorum, docentiumque vilis merces: ita ut ab expressâ & strictâ novæ legis ratione lex seu constitutio ipsa omnino restringi, & limitari debeat; cum ratio sit mens atque anima legis, l. Cum pater §. dulcissimus De legat. 2. late Præses in loco legis strictæ.

11 Tertiò, quod non obscure ex testamento colligatur, testatorem hanc domum voluisse vendi; ob id, quod omnia bona sua pecuniâ æstimaverit: & in codicillo adjecto apertè præsupposuerit ejusdem alienationem, medietate pretii hospitiæ suæ, cum qua eandem domum emerat, relicta: ita ut

nihil peccatum dici possit in constitutionem, quæ non vetat rerum immobilium pretium locis piis, seu collegiis relinquere.

Et quartò, quod de jure communi personis ac locis, quæ sine suo vitio, sed vel ex professione, ut Monachi mendicantes; vel ex constitutione Principis rerum quarundam incapaces sunt, debeat pretium earum rerum, quarum incapaces sunt, si simpliciter eis testamento legentur, l. Apud Julianum §. sur. cum l. seq. De legat. 1. & ibi Alexan. Castrensi. & Ias. Alexan. consil. 9. Visis dicto nu. 14. vol. 2. Bart. in tract. Minoritarum 2. distinct. cap. 2. Et sic præsuppositâ etiam intentione novæ constitutionis ad publicam scholam, deberetur æstimationis domus ejusdem; quam non Actor, sed Executores distrahere deberent, pro legati præstatione: prout eo fine, & eâ intentione distraxerunt; præsertim quia evidenter constat de hujusmodi voluntate testatoris, quod distraheretur. Quâ voluntate concurrente, respondit Alexander, d. n. 14. etiam deberi æstimationem, si quis rem Ecclesiæ, aut Caesaris legasset. Atque ita quocumque res vertatur, semper manet certum atque indubitatum, quod ex dicta nova constitutione nullum periculum imminet prædictæ scholæ; quodque inde non debeat ulla restrictio legati fieri. Inherentes itaque priori nostræ resolutioni, arbitramur causam dicti testamenti in tuto ac securo esse.

De Testamentis.

S V M M A R I V M.

Legatum ad certam causam.

1. Legatâ pecuniâ ad aliquid faciendum, si sumptus legato minores sint, ad quem restans pecunia pertinere debeat.
2. Testamenti conditio non mutatur ex augmento facultatum testatoris.
3. Legata pecunie certa summa pauperibus ad restituendum male ablata, quò pertineat excrescens summa, dum ablata minora reperiuntur.
4. Clerici intestati bona, qui in pluribus locis beneficia possident, ad quam Ecclesiam pertineant.
5. Episcopus est legitimus testamentorum Executor.
6. Executio testamentaria ad heredem non transmittitur.
7. Legatum non valet, si non invenitur persona vel causa, cui relatum est.
8. Legatum in unam causam quando in aliam converti potest.
9. Testator & intestatus quis potest decedere ex consuetudine.
10. Collegarum maior pars quod decernit sequendum est.
11. Executoribus testamentorum dissentientibus Episcopus intervenit.
12. Iudicium caprum non alteratur ex mutatione fori.
13. Executor testamentarius etiam Laicus per Episcopum cogi potest exequi.
14. Executorum plurium testamentorum an singuli possint in solidum conveniri & exequi.
15. Executor testamentarius an de dolo & culpa etiam levissima teneatur.

CONSILIUM CCCCXVII.

OMINVS Nicolaus Fourmanoir Ecclesiæ Tornacensis Canonicus, ac Pastor loci de Moerbeke, testamentum condidit

condidit, in quo residuum suorum bonorum tribus æqualibus portionibus divisit; cuius unam partem confanguineis suis reliquit; aliam pauperibus; tertiam pro anniversario suo in Ecclesia Tornacensi certâ præscriptâ formâ fundando; eâ lege, ut si eo fundato quid superexcreceret, id converteretur in fundationem alterius anniversarii in Ecclesia de Moerbeke; ac eleemosynæ unius raseriæ panis pro pauperibus. Hic testator condito testamento multis annis supervixit, & ex accessione duarum Ecclesiarum parochialium de Calloo; & de Bevere, propriaque suâ industriâ longè ditior factus; nullo alio condito testamento, decessit; Solutis debitis, & legatis; assignatâ confanguineis suâ tertiâ residui; aliâ tertiâ in pauperes distributâ; superest tertia, quæ pro fundatione duorum anniversariorum modo, quem testator præscripsit, plusquam sufficiens est. * Queritur, cui ea excrecens pecunia cedere debeat; an hæredibus? ut in illo casu, quo testator alicui curam condendi corporis sui reliquit, assignatis ad hoc decem aureis; quibus si minus in hoc erogetur, reliqua summa hæredibus proficere debet; *l. Lucius Titius §. à te peto De legat. 2.* an verò his duobus anniversariis, ut eorum modus augeatur, pro modo auctæ pecuniæ, seu bonorum?

² Et sanè hæredibus id proficere non debet; ob id, quòd in sua tertiâ residui conclusi sint; & ad immutationem testamenti nihil faciat augmentum post conditum testamentum superveniens; *l. De hæreditate §. fin. in fine De castren. peculio*; quia debet excrecens huiusmodi pecunia in alios, & maxime in similes pios usus; converti. * Ita enim ex sententia Iacobi Butrigarii in simili decidit Baldus, in *l. Si quis ad declinandum vers. Sed iuxta hoc quatuordecim. 10. C. De Episc. & cleric.* quòd si testator mandaverit mille distribui pauperibus ex malè ablatis, quæ mortuo testatore non inveniuntur ad eam summam ascendere; id quod superest, non esse restituendum hæredibus; nec cedere lucro Executorum, sed convertendum esse in aliam piam causam: si modò testator non voverit in aliam, quàm expressam, & specificatam causam converti; quod hic factum non est. Eaque ratione responsum est, in *l. Legatum De usufr. legato*, legato civitati relicto, ut ex redditibus quotannis in ea civitate, memoriæ defuncti conservanda gratiâ, spectaculum celebretur, quod ibi celebrare non licet; eos redditus non cedere lucro hæredum; sed convertendos esse in aliam licitam causam, ut memoria testatoris alio; & licito genere celebretur. * Inquirendo autem in causas huiusmodi, occurrit primum illa, quod, quia testator ex accessione dictarum duarum parochialium Ecclesiarum locupletior factus est; in illis quoque ex residua pecunia anniversaria fundentur: quia in illis Ecclesiis, in quibus tempore testamenti beneficiatus erat testator, ita disposuit, ut ex accessione, & velut agnatione harum duarum Ecclesiarum, causa illis quoque legandi ac relinquendi accesserit, *argum. l. Commodissime, l. Inter cetera De lib. & posthumis*; cum ex juris definitione; intestato mortuo Domino Nicolao, bona ejus ex beneficiorum fructibus acquilata inter omnes Ecclesias, in quibus beneficia habuit, dividi debuissent,

c. Relatum 2. in fine De testam. Hoc quoque nobis ab æquitate aut pietate recedere non videtur, ut, quoniam facultates testatoris tam notabiliter auctæ sunt; modus quoque anniversariorum in Ecclesiis Tornacensi & Moerbeke augeri possit; & intercessentibus huiusmodi anniversariis plus tribui; & in Ecclesia de Moerbeke pro eleemosynis plures raserias panis pauperibus distribui. Per quem autem, seu per quos hæc fieri possint, non satis expeditum videtur: ob id, quòd Executores omnes testamento deputati mortui sint; & hæredes sanguinis in suâ tertiâ residui conclusi. * Proinde magis est, ut hæc executio rejiciatur ad Ecclesiam seu Episcopum Tornacensem, cum generaliter Episcopus, deficiente testamentario tutore; sit legitimus Executor, *l. Nulli C. De Episc. & cleric. Authen. de Ecclesiasticis §. fin. autem qui facere, c. Tria De testam.*

* & executio ad Executoris hæredes regulariter non transmittatur: quia electa censetur industria personæ; *c. fin. De offic. iud. deleg. Iacob. de Camb. in tit. de execut. ult. volunt. §. quarto tertio n. 5.* Sanè si (quod in facto proponitur) pro indubitato jure ex consuetudine in Ecclesia Tornacensi servatur, ut Executoris executor utriusque onus suscipere, & implere debeat; id à ratione alienum non esse putamus, sed in proposito servandum.

ADDITIO:

QVÆ ex sola conjecturâ voluntatis testamentum in angustâ, limitataque verborum expressione dependent quæstiones, ambiguas plerumque habent juris definitiones: ut mirum non sit, si aliud nobis, aliud Clarissimis Dominis Doctores Duacensibus, aliud denique Reverendis Dominis Decano, & Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Tornacensis visum sit, in quæstione, quæ nobis nupè ex testamento D. Nicolai Fourmanoir proposita fuit; circa unum trientem residui per eum relicti ad fundationem anniversarii in Ecclesia Tornacensi, modo ac formâ per eum præscriptis; & si quid excreceret ac superesset, inde alterum anniversarium in Ecclesia parochiali de Moerbeke fundaretur. Conveniunt nobiscum, uti videtur; in ipsa resolutione dicti Domini Duacenses; ut ex eo, quod duobus anniversariis Tornaci, & in Moerbeke constitutis superest, similia, vel saltem pro quantitate ejus, quod sic superest, anniversaria constituantur in Calloo & Bevere: sed illi id ad necessitatem referunt; nos ad arbitrium; & æqui boni interpretationem. Et quamvis ab ea sententiâ nos necessariò non abducatur dictorum Dominorum Decani & Capituli Tornacensis consideratio; tamen quod resolvimus, ex æquo bono, & ex conjectura probabilis voluntatis dicti testatoris profuxit; ne quod duobus anniversariis, de quibus nominatim cautum est, applicari non potest, propter certam formam à testatore præscriptam; nec potest etiam applicari hæredibus, qui intra alium trientem conclusi fuerunt; neque item pauperibus, quibus præter unum trientem nihil relictum est; nulli relictum dicatur, quod palam constat testatorem legasse, & aliis duobus hæredibus, hoc est cognatis & pauperibus eripuisse; * & sic tandem cum non inveniatur persona vel causa, cui legatum hoc

extol

excrefcens applicari poffit, pro nullo fit, *l. Paulus reponit De reb. dub.* Maluimus itaque iudicium noſtrum dare ex cauſa legandi, quam teſtator præ oculis habuit; quæ fuit, ut quemadmodum in illis duabus prioribus Eccleſiis beneficia habuit, ideoque illis anniverſaria reliquit; ita quoque aliis beneficiis, quæ ei poſtea acceſſerunt, idem probabiliter facturus fuiſſet, ſi quo tempore ſcribebatur teſtamentum, eadem poſtea acquiſita beneficia quoque poſſederet. * Si enim cum cauſa, in quam teſtator pietatis ergo legavit, improbatur, in aliam aliquam ſimilem, quæ licita eſt, converti poteſt legatum, *l. Legatum De uſufr. legato*, cur non cum multiplicatione cauſati in ejuſdẽ generis aliam ſpeciem converti quoque poterit tunc, cum cauſa expreſſa ex præſcripto ac limitatione teſtatoris, totius pecuniæ, quæ invenitur, erogationem non admittit; concurrente præſertim illa circumſtantia ex jure communi, quæ ex bonis, quæ defunctus beneficiis Eccleſiaſticis dotatus reliquit, partem ſibi vindicat, *c. Relatum 2. in fine De teſtam.*

Verum quoniam nobis nunc proponitur hujus circumſtantia uſum in Eccleſia Tornacenſi non eſſe; ſed præbendati in eâ Canonici inteſtati bona mobilia omnia ex conſuetudine pertinere ad eandem Eccleſiam; nullam partem in illis vindicantiſque aliis Eccleſiis, ſi forte plura habuit; non abhorremus ab eâ interpretatione, ad quam dicti Reverendi Domini inclinare videntur: ut quoniam ſic ſubſeſt perſona, cui quod ſuperexcreſcit applicari poſſit, deficiente teſtatoris expreſſa voluntate, hoc eſt Eccleſiæ Tornacenſis, quæ ceſſante teſtamento, totius pecuniæ hæres futura erat, & quam teſtator in nulla parte teſtamenti intra certam aliquam portionem concluſit; ut concluſit cognatos, & pauperes; aliarum Eccleſiarum, de quibus teſtator tempore teſtamenti nullo modo cogitavit, nulla habeatur ratio; ſed totum quod ſuperexcreſcit, Eccleſiæ huic relinquatur: nulla imminente neceſſitate juris accreſcendi; quoad duo expreſſa anniverſaria: * ob id, quod (uti etiam proponitur) ex conſuetudine ejuſdem Eccleſiæ quilibet illi ſubſeſt poſſit contra vulgarem juris regulam, *l. Ius noſtrum De reg. iur.* decedere partim teſtatus, partim inteſtatus. Exemplo forte à militibus militantiſque, *l. Si miles unum, l. Si duobus De milit. teſtam.* ad milites cœleſtis militiæ tranſlato. Cum aliqui ſtatuto vel conſuetudine induci poſſit, ut quis pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus decedere poſſit, *Angel. & Ioannes de Imola in l. Moribus De vulg. & pupil.* Proinde quicquid in hac re Domini Capitulares ſtatuent de ſuperexcreſcente hac pecuniâ, reprehensionem mereri non debebit: potiſſimum cum id non communi omnium, qui nunc ſunt, diviſioni ſubiicere, ſed piis uſibus applicare intendant; per quos defuncti, ſeu teſtatoris memoria celebrior fiet. Ita enim fiet, ut cum id, quod jure proprio ſibi quiſque privatim retinere potuiſſet, ad conſervationem memoriæ teſtatoris convertitur alio licito, & præſertim pio erogationis genere, nemo ſibi ereptum iuſte conqueri poſſit; cui nec datum, nec debituſque fuerit, *l. Legatum in fine De uſufr. legato.* Religioni itaque & conſcientiis Venerabilium Dominorum relinquimus, quomodo ſuperexcre-

ſcentis hujus pecuniæ erogationem faciant: dum tamen meminerint, ut in Eccleſia de Moerbeke anguſtius anniverſarium non conſtituant, quàm eſt modus per teſtorem ſpecialiter præſcriptus anniverſario in Eccleſia Tornacenſi conſtituendo.

Quare improbabilis eſt contradicſio alterius ſeu moderni Nicolai Fourmanoir, dum ſolus tamquam Executor teſtamenti Domini Martini Fourmanoir, unius ex Executoribus teſtamenti præſati Domini Nicolai, huic voluntati & inclinationi dictorum Venerabilium Dominorum reſiſtit; aliis præſertim ſuſſectis Executoribus in locum demortuorum Executorum teſtamenti dicti Domini Nicolai, atque etiam D. & M. Iacobi Laurentii ſuo Coexecutorum teſtamenti Domini Martini Fourmanoir, reclamantiſque: tum quod contradicendi occaſio nulla probabilis ſit ex cauſis ſuperius deductis: tum quod unus inter multos, per quos negotium, quod ad ſingulos privato nomine non pertinet, explicandum eſt, contradicſio ſpernenda, & quod à maiore parte probatur ſequendum ſit, *l. Quod maior Adminiſtr. l. Aliud §. reſertur De reg. iur.* uti in pluribus tutoribus, curatoribus, aliſque adminiſtratoribus ſervatur, *l. 3. §. fin. De adminiſtr. tut. l. 2. in fine De curat. bonis dando, l. 1. C. Vbi pupil. educ. deb.* * Et in æqualitate contraventionis ſeu contradicſionis plurium Executorum, ſi inter ſe in unum convenire nolunt, Epifcopi, aut interventu Eccleſiæ, res in alteram partem definienda ſit, *c. Nos quidem, c. Tua nobis De teſtam. Doct. in l. Si quis ad declinandam C. De Epifc. & cleric.* De quo in propoſito minùs dubitandum eſt; ob id, quod Nicolaus iſte per teſtorem Executor deputatus non ſit; ſed tantum ex conſuetudine dicti Capituli in vicem, ſeu alterius locum ſurrogatus. Ita ut ex capite ejus, in cuius locum ſurrogatus eſt, ſolus nihil conſtituere poſſit; cum iſ ex deputatione Capituli, in loco mortuorum, coexecutores acceperit: & iſ, ita nec hic, ſine illis quicquam ſolus pro ſuo arbitrio facere poſſit; ne meliore loco ſit, qui non ex voluntate teſtatoris, quàm qui ex eadem Executor eſt. Quin autem dictus Nicolaus per Capitulum cogi poſſit, ut ſecundum præſcriptum Capituli, & aliorum coexecutorum, ea, quæ ex executione reliqua habet, in medium pro facienda diſtributione conſerat, dubium non eſt. * Eth enim deſerit eſſe Canonicus; tamen propter aſſumptam & inchoatam executionem eo tempore, quo Capitulo ſubditus erat, alteratio conditionis & fori ad exceptionem fori ei prodeſſe non debet, *l. Cum quadam puella De iuriſdict. omnium iudic.* * Cum aliqui omnis Executor etiam omnino laicus per Epifcopum cogi poſſit, ut executionem impleat, & faciendâ faciât, *d. c. Tua nobis §. ſi quis autem pro redemptione in Advent. de Eccleſiaſt. titul. collat. 9.* cum idem etiam poſſit Epifcopus adverſus exemptos, *Clem. 1. De teſtam.* * An autem & alii executores ad id conveniri vel urgeri poſſint, ex ipſa adminiſtratione dependet. Verum quidem eſt, perinde teneri eos, qui non geſſerunt (cum ſuſcepta ſemel tutelâ, quam à ſe excutere poſtea non poſſunt, *c. Ioannes De teſtam. gerere debuerint*) ut qui geſſerunt, *l. 1. C. Si tutor vel curat. non geſſ.* & quidem quilibet in ſolidum, *l. 1. C. Quo quiſque ord. conven.*

lib. 11. l. Tres tutores De administ. tutor. cum eorum officium sit individuum, & periculum commune, l. Imperator Ad municip. in exactione tamen & conveniendi facultate primò conveniendus, & excutiendus est, qui administravit, d. l. 1. C. Quo quisque ord. conven. lib. 11. & eo non excusso non potest perveniri ad eos, qui non gesserunt, l. Ex persona C. De probat. d. l. 1. C. Si tut. vel curat. d. l. Imperator.

* Illud quoque quod de dolo, lata culpa, & levi quaritur, expeditum est. Nam de dolo, ac lata culpa, quæ dolo proxima est, l. Quod Nerva D. Depositi, Bened. Capri reg. 78. dubitatio nulla est, l. 2. in fine C. Si tut. vel curat. Et cum Executores testamentorum tutoribus ac curatoribus æquiparentur, ad exemplum illorum, l. Contractus De reg. iur. etiam culpæ levissimæ nomine teneri eos constat, Card. in Clem. 1. nu. 6. De testam. Part. in l. Alia De alimen. & cibis. legat. Per quæ questionibus Venerabilium Dominorum sufficienter respondendum esse existimamus.

De Testamentis.

S Y M M A R I U M.

Legatum pluribus relictum.

1. Voluntas defunctorum potissimum ex verbis colligenda.
2. Coniuncti pro una persona habentur.
3. Legatis decem coniunctim duobus non debentur singulis dena.
4. Dicitur, totidē, numeri, & similitudinis repetitiva est.
5. Mens testatoris ex præcedentibus & sequentibus colligitur.
6. Intellectus l. Liber homo §. Titius De hered. instit.
7. Partis appellatione in dubio dimidium totius intelligitur.
8. Mens ubi certa non attenduntur verba.
9. Notarii declaratio plurimum facit ad probandam voluntatem defuncti.
10. Inducta ad augmentum, diminutionem operari non debent.
11. Clausula codicillaris.
12. Legari potest testis testamentario.

CONSILIUM CCCCXVIII.

EX testamento Honorabilis D. Egidii de Harchies, Decani collegiæ Ecclesiæ Beati Vincentii Sonegiensis duæ proponuntur difficultates. Prior, an in legato ministro, & ancillis relictis, ter viginti floreni annui ac vitales contineantur, an his tantum, ut viginti habeat Martinus de Boesdinghen famulus, & alia viginti Vincentia d' Aerschor, & Ioanna du Four ancillæ conjunctim? Ita enim scripsit testator: Item dictus Dominus testator legavit & ordinavit famulo suo Martino de Boesdinghen viginti Carolinos annuæ pensionis viginti stiveris pro huiusmodi carolino computatis, totidem Vincentiæ d' Aerschor, & Ioanna du Four ancillæ suæ, omnibus dictis, quoad vixerint tantum. * Sed verborum contextum sequendo, cum extrinsecus non appareat de voluntate alia, quam quæ ex verbis ipsis, & eorum potestate colligi potest, l. 3. C. De lib. prater. l. Quoniam indignum C. De testam. nullumque sit mentis nostræ majus testimonium, quam qualitas verborum inspecta, Bald. in c. 1. De testib. & ubi de mente aliquo modo dubitatur, à proprietate verborum non recedatur, l. Non aliter

in princ. De leg. 3. * verius nobis videtur Vincentiam & Ioannam in uno eodemque reddito viginti florenorum conjunctas esse; & in comparatione Martini, cui disjunctim alia viginti solida legata sunt, pro una persona reputari, l. Interdum De hered. inst. l. unica §. his autem vers. si hoc ita C. De caduc. tollen. & multiplicationem legati non esse factam; etiam si alioqui pecunia seu pecuniarius redditus facile sit multiplicabilis, l. Planè §. sed si non corpus De leg. 1. * & pro absurdo, ac velut extra omnem ambiguitatem positum sit, si cum duobus conjunctim unica oratione decem legantur, quis existimet dena; hoc est singulis decem esse legata, l. Si quis testamento De leg. 1. l. 1. §. his ita vers. hoc ita C. De caduc. tollen. sic ut legatum quantitatis duobus conjunctim, intelligatur collectivè, non distributivè: propterea quod talis conjunctio in eandē qualitatem, constituat in concursu legatariorum partes, non quantitatis duplicationem, l. lason in d. l. Si quis testamento. * De quo minus dubitandum est in proposito; propter particulam, Totidem, præpositam; quæ & rei, & numeri repetitiva est, ac similitudinis inductiva, c. Cum dilecta in princ. De confirmat. utili & insti. Tum etiam ex eo, quod utramque legatariorum sub una oratione, uno verbo, atque uno communi appellativo nomine Ancillæ posito conjunxerit, & complexus sit: aperte inde significando, quod viriles tantum partes in hac quantitate legare voluerit, l. Si communis servus de stipul. servor. * & denique quod testator in aliis testamenti clausulis, in conjunctione plurium legatariorum, ubi multiplicationem legatæ quantitatis, & distributionis vim constituere voluit, id per distributivas particulas, expressissime dixerit, veluti in legato quindecim florenorum annuorum Balduino & Nicolao Gobelle fratribus relictis; item in legato consimilium quindecim florenorum Francisco & Philippo de Harchies relictis; additis his verbis, Unicuique eorum: item singulis illorum, Ita ut evidentissimum sit, ejus voluntatem fuisse, non multiplicare, sed conjungere in proximo subiecto legato dictis ancillis facto, quatenus parem declarationem non fecit: cum testatoris mens ex his, quæ in testamento præcedunt vel sequuntur colligi possit, l. Si servus plurium §. ult. de leg. 1.

Posterior difficultas priori similis est; an quia idem testator residuum bonorum suorum reliquit partim pauperibus, partim Iolina sorori suæ & prolibus fratris sui, his verbis, Reliquit partem pauperibus Sonegiensibus, reliquam partem Iolina sorori suæ & prolibus fratris Harchies, tres partes constituendæ erunt; ut unum trientem pauperes, secundum trientem Iolina soror, & tertium proles fratris (quæ hic propter conjunctionem, quæ in appellativo nomine pluraliter prolato latet, pro una personâ reputantur, l. Interdum De hered. insti. an verò duo semisses tantum; quorum unum pauperes, alterum Iolina, cum dictis prolibus habeat, d. l. Planè in fine princ. * Verius autem est, secundum verborum formam propositam, quod pauperes totius residui dimidium seu semissem habeant, & Iolina ac proles fratris alium: eo modo dividendum, ut Iolina illius semissis dimidium (qui est totius residui quarta pars) & restans dimidium dictæ æqualibus portionibus pro numero